



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus VII. Opera bona.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

quàm erga caput Domini. Oliva l. 9. Strom. §. ut cognovit.

Operabatur: erant enim scenofactoria artis. Act. 18. 3. Et hoc miror, jam dignatum Dei alloqui & visionibus, non pertaxum officii sui; nec fastidisse ostiarii munus; cui patuerant arcana Domini. Paulus in coelum raptus non erubuit texere tabernacula. Oliva l. 10. Strom. §. Puer autem erat minister.

§. V.

De promotione ad officia.

Tu eris super domum meam. Gen. 41. 40. In Joseph non natalis, non genus; sed sola sapientia, respicitur. Sylveira in Matth. 25. c. 52. talenta distributa.

Manum suam misit ad sortia, & digiti ejus apprehenderunt fufum. Prov. 31. 19. S. Bruno de laud. Ecclesiæ c. 5. t. 3. in hoc Eccle-

siæ sapientia manifestatur, quæ tam bene cuncta disponit. Manum suam, id est, eos, qui fortiores sunt, & sapientiores; ad majora negotia mittit; talesque Rectores, & Episcopos, constituit. Digiti verò fufum apprehendunt: quia illis minora negotia committit, qui imperfectiores, minusque periti. Did. Nils. D. 6. Epiph.

Cui nomen erat Joannes. Joan. 1. 6. Quare ante officium ponitur nomen Joannes? Joannes significat gratiam; & in ipso nomine Joannis, ut ait hic S. Thomas, significatur idoneitas, & sufficientia ad officium. Et antequam Evangelista scriberet ejus munus, voluit nobis aperire ejus sufficientiam: quia semper prius est consideranda. Sylveira hic q. 32.

Officium ab efficiendo dictum putamus, quasi efficium. S. Ambros. Eth. Chri. 1. 1. c. 8.

TITULUS VII. OPERA BONA.

§. I.

Figura, & Symbola.

1. Manus.

Psallam nomini tuo altissime. Ps. 9. 3. Psallere est opus manuale: & per hoc intelligitur bona operatio. S. Thom. Aqu. hic.

Omnes gentes plaudite manibus. Ps. 46. 2. Cum sit consuetudo luxuriantium, elisis manibus personare, & in aurium jucunditatem per eas melos quodam sine officio sermonis exprimere; plausum istum spiritualiter debemus accipere; qualem & filii crucis potuerunt dicere, & nos oportet audire. Plaudunt ergo manibus, qui eleemosynas faciunt, qui agrotis pro miseratione serviunt, qui aliquod mandatum probis actionibus operantur. Cassiodorus hic.

Salvavit sibi dextera ejus. Ps. 97. 1. Sæpius diximus, manum actionem dicere; dexteram verò bonam actionem. B. Theodoretus hic; & addit: dicit autem hominum salutem ejus potentia opus esse: immensam autem benignitate utens suum quæstum hominum vitam ducere.

Levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi. Ps. 118. 48. Levare manus significat bonis operibus occupari. Cassiod. hic.

Tetigit manum ejus. Matth. 8. 15. Non tangit aurem, non tangit frontem, non tangit aliam partem corporis; sed manum tangit. Propterea enim febricitabat, quia bona opera non habebat. S. Chrysost. hom. 6. in Marcum.

Accepit eum in ulnas suas. Luc. 2. 28. Ad salvationem nostram non sufficit videre Christum, per fidem, sed ipsum recipere oportet in manibus per bona opera. S. Vincent. Ferr. l. de Purif. B. V.

Lucerna ardetes in manibus. Luc. 12. 35. In manibus Sanctorum ipsa bona opera sunt lucernæ. S. Chrysologus l. 24. Lucernæ in manibus opera bona sunt, accensa igne veritatis, & charitatis. Sim. Casl. l. 6. c. 30.

Date annulum in manus ejus. Luc. 15. 22. S. Hieron. annulus est signaculum similitudinis Christi: hoc signaculum in manu datur, quando opera justitiæ Scriptura significat. Apud Fernandium in Gen. 1. sect. 1.

Habentes singuli citharas. Apoc. 5. 8. Citharæ, quæ pulsibus manuum suaviter sonant, apte opera bona figurant; quæ suis effectibus, quasi quibusdam sonis, proximos ad cœlestem patriam excitant, & invitant. Rich. à. S. Vict. l. 2. c. 3. hic.

2. Gressus ambulatio.

Nostrium ambulare, est bene operari. S. Bonavent. l. 129.

In hac vita, ubi per fidem bene vivendo proficimus, bonorum operum quodammodo passib⁹ ambulamus. S. Prosper l. 1. de vita contempl. Sacerd. c. 1.

Passus eundi ad paradysum sunt bona opera. Si orâstis hodie, jam fecistis unum passum; alium, si dedistis eleemosynam; alium, si audivistis Missam. *Ibunt de virtute in virtutem.* Ps. 83. 8. S. Vincent. Ferrer. l. 4. D. 3. post Octav. Pasch.

3. Fructus.

Germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum &c. Gen. 1. 11. Quia hoc dignius est aliis non pomiferis. Sic hominum vera laus non à nobilitate, divitiis, dignitate scientiâ: eloquentiâ; sed à fructibus bonorum operum. Sicut illæ arbores fructiferæ. Judic.

9. 9.

9. 9. regno fructus suos præulerunt. de Ponte in Cant. 2. §. 3.

Quod fructum suum &c. Pl. 1. 3. boni operis: fructum non solum germen cogitationis aut florem propositi, aut folia verborum. Hugo Card. hic.

Fulcite me floribus. Cant. 2. §. id est, iuvate me orationibus: *stipate me malis.* ib. id est, munite me bonis operibus. Idem hic.

Veniat dilectus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum. Cant. 5. 1. In hortum Dilectus venit, & fructum comedit, quando Christus mentes visitat, & bonorum operum delectatione se satiat. S. Gregor. hic.

Ortum fecit fructum centuplum. Luc. 8. 3. S. Remigius: semen fructum facit trigessimum; quando bonam cogitationem inducit in animo, sexagesimum, quando bonam locutionem producit in ore: centesimum verò, quando in fructum boni operis exit. apud Sylveira hic. q. 13.

4. Filii.

Qui sunt isti? respondit: filii mei sunt. Gen. 48. 8. O quam jucundum est, quando Christus responderet, opera nostra esse filios suos. Profecto opera bona, quæ facimus, & nostri filii sunt, & Christi: sed nostri, quasi matris; Christi autem quasi patris. Hugo Card. hic.

Notas fecit filius Israel voluntates suas. Pl. 102. 7. Filii nostri sunt bona opera bona; quos per propositum concipimus, per effectum parimus, per consuetudinem nutritimus. Hugo Card. hic.

Mulier salvabitur per filiorum generationem, si permanserit in fide. 1. Tim. 2. 15. Quæ est hæc mulier? nisi anima, quæ verbum concipit Dei veritatis, & parit opera bona similia Christo: irrationabile enim est existimare de sensibili generatione dictum. Origenes tr. 29. c. 24. hic.

5. Vestes.

Omni tempore sint vestimenta tua candida. Eccl. 9. 8. Hoc est, actiones, & opera; quæ virtutis normam sequuntur; nec non tradita nobis indumenta per lavacri regenerationem: quæ procul dubio candida asservantur per omne tempus, quò à peccatorum sordibus abstinemus. Olympiodorus hic.

Non habens vestem nuptialem. Matth. 22. 12. Dum vestem audis nuptialem; ne de vestimentis, quibus induimur, id existimes: sed de bonis operibus. S. Ephrem in illud attende tibi ipsi. c. 7.

Sicut vestimenta corpus, sic bona opera protegunt animam. S. Gregor. 1. 16. mor. c. 22.

Varia alia.

Det tibi Deus de rore celi, & de pinguedine terræ, abundantiam &c. Gen. 27. 28. Toties de rore celi benedictionem desuper accipimus, quoties per infusionem S. Spiritus de supernis gaudiis in mente aliquid degustamus. Cum verò bona opera per corpus agimus; de

terrena pinguedine ditamur. V. Beda hom. in Lect. Sabb. D. 2. Quadr.

Sacrificate sacrificium iustitiæ. Pl. 4. 6. Vocat opera bona sacrificium iustitiæ; quia opera iusta placent Deo valde, & per ea Deus honoratur. Bellarminus hic.

Sumite psalmum, & dare tympanum; psalterium jucundum cum cithara. Pl. 80. 3. Sumite & tu citharam; ut pulsata spiritus plethra, interiorum chorda venarum boni operis sonum edat. Sumite & psalterium; ut harmonia dictorum, factorumque tuorum, concinnat. Sumite & tympanum; ut organum tui corporis spiritus moduleur interior, factisque operantibus dulcis morum tuorum suavis exprimitur. S. Ambros. 1. 6. in Luc. 7.

Exiit qui seminat seminare. Matth. 13. 3. Semina sunt bona opera. S. Bernardus 1. 37. in Cant.

Quid est hoc, quod dicitur *vespere, & mane*. Gen. 1. Vespere est finis jam consummatus, imò ordinati operis; manè autem incipientis, vel potius ordinandi operis. S. Anselmus in Elucidario.

Jacemus in vitiis, & jacemus oppressi: stamus, cum bonis operibus erigimur ad profectum. S. Chrysost. 1. 54.

Ut parum est, exire de Ægypto, nisi terram promissionis intraveris: similiter non sufficit declinare à malo, nisi bonum feceris. Petrus Cellensis. l. de pan. c. 4.

§. II.

Opera vel minima, grata Deo, ejusque Filio incarnato.

Noli timere Abraham &c. Gen. 15. 1. Notat hæc S. Ambrosius 1. 1. de Abrah. c. 1. Deum dixisse, postquam oblata sibi dona à rege Sodomorum contempserat: & subiungit: non est servus ad remunerandum Dominus; & cito promittit; & multa largitur; ne infirmos animos ad dilationem mercedis subeat poenitentia, contempsisse præsentia. &c. apud de Ponte in Cant. 3. §. 3.

Intuli eam in ararium regis. Gen. 47. 14. Id est, in cor Patris; ubi Christus mittit opera nostra; ubi, tanquam thesaurus pretiosissimus, custodiuntur. Hugo Card. hic.

Tenuis illum. Cant. 3. 4. O quam tenet illam, &c. ut ita dicam, cogit Fidelium animas dum beneplacita illi, & accepta, facit. Teneaturque operibus virtutis, non manibus armorum, non divitum pompis, non opulentorum jactantiis, non elatorum fastu; non gula, somni, luxuriæ, invidiæ, morbo laborantium: sed misericordiæ, pietatis, continentia, humilitatis, temperantiæ, benevolentia, castitate, & precibus rectorum. Philo Carpathius hic.

Vulnerasti cor meum - in uno oculorum tuorum &c. Cant. 4. 9. In uno oculorum, & in uno crine, se saucium clamat: ut ostenderet non tantum sibi grata esse opera magna iustorum, sed etiam minima. S. Franciscus Sales. prax. spir. p. 3. c. 35.

Veniat

Veniat dilectus meus in hortum suum. Cant. 5. 1. Ad quos, & quales, fructus edendos horti sui, hoc est, Ecclesiæ gentium, & cuiusque Fidelis animæ, invitetur à sponsa sponfus; ipse per se declarat in Evangelio, dum dicit: Joan. 4. 34. *meus cibus est &c.* hoc est, ut quamplurimos ad me convertam, meosque discipulos faciam, & amicos, omnes in me credentes: quorum bona opera tanquam fructus suavissimos virtutis sponfus edit, hisque maxime lætatur. Philo Carpathius hic. *In hortum dilectus venit, & fructum comedit.*

David autem rex. Matth. 1. 6. Cur David solus nominatur rex? quia regnum propriò suo labore comparavit. S. August. 1. 1. de mirabilib. Script. c. 30. *David autem rex,* ait, *genuit Salomonem;* cui non additur, regem, cum Salomon patris regnò teneret majus imperium. Sed ex hoc intelligitur; patris sui David regnum Salomon hæreditariò jure possidere, ad David honorem regni plus pertinere. David obtinuit regnum ex operibus; Salomon hæreditate: & apud Deum honos non ex hæreditate, sed ex meritis comparatus, excellit. Sylveira hic q. 26.

Alii cadebant ramos de arboribus. Matth. 21. 8. Quot bona opera propter Christum facis, tot eum ramis honoras. S. Bonaventura l. 2. D. Palm.

Fecit ei convivium magnum Levi in domo sua. Luc. 5. 29. Qui domiciliò Christum recipit internò, maximis delectationibus exuberantium pascitur voluptatum. Qui suà domò recipit Christum, convivium magnum exhibet, hoc est, bonorum operum spirituale convivium S. Ambros. 1. 5. hic.

Sitio. Joan. 19. 28. Manducare volebat, quando poma quærebat in arbore. Quid esurivit quid sitivit Christus; nisi bona opera nostra? In illis enim crucifigentibus, & persequentibus, quia nulla opera bona invenerat, jejunabat. Nam quale jejuniū ipsius fuit; qui vix invenit unum latronem, quem in cruce gustaret. S. August. conc. 2. de parte Pf. 34.

Minima largè remuneratur. Vide Liberalitas §. 10.

§. III.

Opera spontanea Deo gratiora.

Quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. Eccl. 24. 20. Plin. 1. 12. c. 15. myrrha arbor bis per annum inciditur. Sudat autem sponte, priusquam incidatur; quæ vocatur stacte, sive lacryma myrrhæ; eaque myrrha est præstantissima.

Ite in civitatem ad quendam. Matth. 26. 18. Nomen non exprimitur, sicut Magdalene, & Martha. Joan. 12. 2. quia illæ non rogatæ, hic rogatus, excepit. Sylveira hic q. 4.

Angariaverunt ut tolleretur crucem Jesu. Matth. 27. 32. Lucas ait. c. 23. 26. *imposuerunt illi crucem portare post Jesum.* Joannes autem c. 19. c. 17. *baulans sibi crucem.* Utri credemus? unus Simonem portasse crucem ait, alter Christum. Matthæus dubium solvit: *Angariaverunt &c.* S. August. l. 34.

ad Fratres in eremo; qui bona faciunt coactè, Deo non sunt accepti; & Simoni Cyrenæo, quem Judæi angariaverunt, ut crucem Christi portaret; optimè comparantur. Ecce enim Simon Cyrenæus portat cum dolore; quia non libenter portat, angariatur invitus est, coactus. Quia non libenter tulit, censendus est non tulisse. Paoletti in festo Purif. B. V.

Non quero voluntatem meam. Joan. 5. 30. Non est opus meritorium, nisi fuerit voluntarium: & quantò opus sit animo promptiori voluntate, tantò est Deo acceptius, & præmii amplioris: eò quòd Deus respiciat affectum potius, quam effectum. Dion. Carth. hic.

§. IV.

Motiva varia ea exercendi.

Beati, quorum remisse sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Pf. 31. 1. Peccata regimus, cum bona facta malis actibus superponimus. - Quamlibet enim Sancti viri adhuc in hac vita sunt; habent tamen, quod ante Dei oculos operire debeant. S. Gregor. hom. 1. in c. 1. Ezech.

Da partem septem; partem quoque dato & ipsis octo &c. Eccl. 11. 2. Modeste, inquit, vive in presenti sæculo, & thesauriza tibi per operum bonorum executionem, quæ ad futuræ vitæ bonum pertineant; atque ita partem ipsis septem dato, & ipsis octo. Olympiodorus hic.

Muræulas aureas faciemus tibi. Cant. 1. 10. Tota erat in osculis, in odore, & in meridie, sponsa; hoc est, cordis tantum intenta victimis, operum hostias negligens. Egredere hanc sterilitatem operum in sponsa sua passus sponfus: compturus proinde illam; aureas facturum se dicit muræulas manibus: ut sciat, gratiora Deo gesta fore, quàm vota: & mercedem uberiorem operibus refundi, quàm affectibus; labori manuum, quàm osculo. Oli. va. 1. 1. Strom. §. Muræulas &c.

Voca operarios. Matth. 20. 8. Cur paterfamilias per se non reddit mercedem operariis, sicut per se eos ad vineam conduxit? Negotium laboris, & meriti, utpote rem majoris ponderis, per seipsum exequitur: illius verò mercedem, ut quid inferius, procuratori suo committit. Pluris æstima, labore pro Deo, quàm præmiari. Sylveira hic q. 13.

Arma nostra sunt, qui nos Salvator instruxit, oratio, misericordia, atque jejuniū: jejuniū enim melius quàm murus tuetur; misericordia facilius liberat, quàm rapina; oratio longius vulnerat, quàm sagitta. S. Ambros. 86. apud Naxera in Jos. 6. §. 11.

Omni tubâ clarior est per opera virtutum exhibitio: & ipsa luce splendor est munda vita; licet innumeri sint, qui calumniantur. S. Chrysost. hom. 6. in Matth. 5.

Nihil boni facere, hoc ipsum est malum facere. - quid enim proderit, die quæso, spinas omnes excidere; si bonum semen factum non fuerit? Idem f. 16. in ep. ad Ephes.

Si parum laboraveris, parum accipies; si verò multum operaberis, multa te merces manet:

net: in tui ipsius commodum curris. S. Cyrill. Jerof. Catech. 1.

V.

Opera præferuntur verbis.

Num. 1.

De Deo, & Christo Domino.

IN principio creavit Deus cælum, & terram. Gen. 1. Nota: verbum creandi, & operandi, primò esse positum, antequam Deus loqui, & dicere, dicatur: primò dicitur *creavit*, deinde *fiat lux*. S. Ambros. l. 76. si non loquimur verbis DEI gloriam, factis exequamur ejus gloriam; quoniam dictis facta priora sunt. Apud Fernandium hic. *In principio &c.* Origenes, & alii legunt: *in verbo creavit Deus*. unò verbò amore hominis omnia condidit. Sylveira in Joan. 15. q. 12.

Gloria Dei est, celare verbum. Prov. 25. 2. S. Hieronymus hic: gloria Domini in carne apparentis est, Humanitatis suæ infirmitatem magis, quàm Divinitatis aternitatem mortalium oculis ostendere; & se potius operum miraculis, quàm apertis assertionibus, Dei Filium fateri. Unde multò sæpius in Evangelio filium se hominis, quàm Filium Dei appellare consuevit. Mendoza in 1. Reg. 11. Sect. 4.

Renuntiate Joanni, quæ vidistis. Matth. 11. 4. Testimonium, quod à rebus trahitur, certius est, quàm verborum, & absque ulla suspitione. S. Chrysost. hom. 37. in Matth. Callidior est lingua operum, quàm verborum; & efficacior responsio in ostentatione virtutis, quàm in probatione sermonis. Sim. Cass. l. 3. c. 3. Re, non oratione, dat responsa. S. Basil. Seleuc. or. 34.

Non respondit ei verbum. Matth. 15. 23. Parum solet loqui, qui multum solet operari. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 12. Obs. 8.

Non respondit ei ad ullum verbum. Matth. 27. 14. Respondit tamen operibus eclipsi solis, tenebris, terræ motu, petrarum scissione. S. Ambros. l. 10. in Luc: illud præstantissimum, quod maluit se regem probare, quàm dicere. Sylveira in Joan. 11. c. 35.

Potens in opere, & sermone. Luc. 24. 19. Bonus ordo: præcedant sermonem opera, ut efficax sit. Sylveira hic l. 9. c. 3.

Exempla alia.

Ex Veteri.

Obscuro Domine, non sum eloquens ab heri. Ex. 4. 10. Non semel cum Deo jam locutus fuerat Moyses; neque unquam causatus, quod impeditiore esset lingua. Cum ad hominem regem orator mititur, balbutiem prætexit, per quam id muneris rectè curare non possit. Itane verò, ut Pharaoni loqueretur, promptam linguam requirebat; apud Deum ei opus non erat? Noverat Moyses Dei ingenium; noverat, quàm parum apud eum lingua valeret; noverat, illi manuum vel unicam, vel præcipuum esse rationem; opera potissimum ab eo spectari. Did. Niss. D. 8. Pent.

Polyantha Sacra. Tom. II.

Ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris lingua sum. Ex. 4. 10. Si Deus Moysi dedit tantam potestatem, cur non dedit etiam expeditam linguam? Erat multa, & magna operaturus; ideo, debebat ut esset tardioris lingue, & non multorum verborum. Sylveira c. 22. in Luc. 11. q. 1.

Dicit Dominus: in hoc scies, quod sim Dominus. Ecce percutiam virgâ, quæ in manu mea est &c. Ex. 7. 17. At quæ manus hæc? nonne Moysis? ita planè. Cur ergo Deus manum suam vocat? Respondet Cajet. Manum Moysis appellat Deus manum propriam: quia jam eum constituerat Deum Pharaonis. Erat ergo manus Moysis manus Dei, propter admiranda opera, quæ patrabat. Deus vocatur Moyses; non quòd eloquens, sed quia erat vir operum: elegantius quidem loquebatur Aaron; at divinius operabatur Moyses. Fernandus in Gen. 1. Sect. 1.

Quid clamas ad me? Ex. 14. 15. Cujus vox audita ad mare rubrum? an populi clamantis voce? an Moysis operibus? S. Ambros. l. 14. in Pl. 118. Sonum ejus non audio, vocem ejus agnosco: silentium ejus lego, clamorem ejus in operibus deprehendo. Clamabat populus, & non audiebatur; tacebat Moyses, & audiebatur. Oliva t. 1. conc. 5.

Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Pl. 1. 3. Arborum non una fecunditas: nam aliæ alternis annis germinant, ut medica, & cytria: aliæ annis singulis, ut vitis: aliæ bis in anno; ut thus, & myrrha. Vidit Joannes his feraciorrem arborem, quæ singulis mensibus fructibus abundabat. Apocal. 22. 2. *lignum vite asserens fructus duodecim per menses singulos.* Ex his, quas debet arbores referre lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum? nullam. quo enim Ecclesiæ arbores insitæ sunt cruci, & Christi cruore rigatæ; nullò non tempore fructum ferre debent. Sic enim S. Paulinus ait ad Desiderium: omni tempore sit maturus illi, cum quo vel in quo, mansurus est sine tempore. Id præstitit S. Bernardus: Prudentia & contemplatio in tyrone, nonne imago autumnii in vere est? ille inter æstus curarum orat; nos nec in otio. Ille, dum contemplatur, lacum non videt, & transit; nos, dum oramus, procul à lacu sumus, & tamen nihil videmus, nisi lacus, urbes, maria, alpes. Paulus ut placidiùs contemplaretur, raptus est in tertium cælum; Bernardus equitare potest, & meditari: & quæ cordis tranquillitate inter sidera, & ipse non caret inter fluctus curarum. Oliva l. 3. Strom. §. erit tanquam lignum &c.

Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me. Pl. 38. 2. Ut coronaretur triumphis, abstinendum verbis censuit. Aptior militum latera ambientium custodia, quàm oris taciturnitas contra inimici adfultus videbatur; & David totus est in oris silentio. O bene! quia egregiis factis est opus, David verbis licentioribus parcat; linguam frenat, ut manus robores. Naxera in Jos. 7. §. 10.

Ff

Laudent

Laudent eam in portis opera ejus. Prov. 31. 31.

Ex Novo.

Venimus adorare eum. Matth. 2. 2. Cur solam exprimunt adorationem? munera tacent? Hugo Card. Magi plus habuerunt in opere, quam sermone dixerunt; quia veniebant adorare: & non solum adorant, sed munera offerunt.

Tetigit fimbriam vestimenti ejus. Matth. 9. 20. Plus apud Deum impetrat opportunitas operum, quam importunitas verborum. Marci 5. 22. 23. Jairus multis orat: *filia mea &c.* sero accipit responsum. Mulier plena modestie accedit ad fimbriam; fluxus sanguinis cessat. Interim filia Jairo moritur. Mulier clamat operibus, ore silet. Princeps multis verbis orat, & de morte filiae nuntium accipit, gratia donatur tacentibus, negantur loquentibus. Oliva t. 1. conc. 5.

Bonum est nos hic esse. Si vis, faciamus &c. Matth. 17. 4. Praestantiam, & bonitatem divini spectaculi laudat simplici, & unico, verbo, dicens: *bonum est.* Cur tantis paucis verbis? cur non majora dicit? Parcit Petrus verbis, ut operam suam impendat: sciens Dei gloriam non extolli verborum laudibus, sed factis. Baeza t. 3. l. 14. c. 17. §. 18.

Quid faciendo vitam aeternam possidebo? Luc. 10. 25. id est, quibus operibus promereri potero, & sortiri, beatitudinem aeternam? Sciebat enim, quod non loquendo, sed operibus virtuosius insistendo, obtineatur felicitas. Dionys. Carthus. hic.

Quid faciam? Luc. 16. 3. Potius cogitabat, quid faciam? quam quid dicam? sciens; quod apud justum, & infallibilem, judicem plus valeant opera virtuosa, quam verba pulchra. Id. hic. *Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute.* 1. Cor. 4. 20.

Ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas. Act. 9. 39. Cur advenientem Petrum nemo rogat pro suscitanda Tabitha, sed tantum ostendunt vestes, & tunicas, quas eis faciebat? quia efficacius urgebant Apostoli benignitatem ostensu opere, quam lacrymarum voce. Obmutescat oris loquela, cum opera clamant. Sylveira hic. q. 33.

Veniam, & cognoscam, non sermonem eorum, qui insati sunt, sed virtutem &c. 1. Cor. 4. 19.

Num. 3.

Sententia Biblica, & Patrum.

Nunquid possum deferere dulcedinem meam, fructusque suavitissimos. Judic. 9. Ficus non floret, nec ullis speciosis ornamentis se ostentat: sed fructum edidit dulcissimum. Unde representat eos, qui pauca dicunt; sed multa, magnaeque faciunt. Cornelius hic.

Dic, ut sedeant hi duo filii mei &c. Matth. 20. 21. Domino libellum supplicem per os matris offerunt; accipiunt responsum; primas sedes concedi solum Candidatorum operibus,

quas credebant se his precibus obtinere. Mutate voces in labores, patientiam, *Potesis bibere calicem?* Evangelii gratia patriam, propinquos, chara omnia deferere? Oliva t. 1. conc. 5.

Res semper astimo verbis esse praestantiores. Dicitio est tanquam vestis in corpore; res autem sunt carnes, & nervi. Clem. Alex. l. 1. Strom.

Qualis sermo, talis est vita. Arbor autem cognoscitur ex fructibus; non ex floribus, & foliis, ac ramis. Id. l. 3. Strom. verba se in modum habent foliorum, opus autem instar fructus. S. Ephrem. de perfectione Monachi.

§. VI.

Opera pauca, ubi multa verba.

Responditque omnibus populis simul: cuncta, quae locutus est Dominus faciemus. Ex. 19. 8. Grandis pollicitatio instabilitatem eorum velut praemonstrabat. Did. Nils D. 2. Epiph.

Praeceperat Iesue populo dicens: non clamabitis, neque audietur vox vestra, neque ullus sermo ex ore vestro egredietur. Jos. 6. 10 & 21. Saepius praeceptum replicat, quia interesse ad victoriam silentium noverat. Nec opinio fefellit. *Ceperunt civitatem, & interfecerunt omnia, quae in ea erant.* v. 20. 21. Non multo post Hai oppidum expugnare tentant; sed statim terga vertentes percussi sunt à viris urbis Hai. Quae causa? quia Jericho oppugnantes verbis abstinerunt: Hai invadentes grandiloqua, ac superba verba jactarunt. *Non ascendat, inquit exploratores, omnis populus, sed duo, vel tria millia, virorum pergant; & deleant civitatem: quare omnis populus frustra vexabitur contra hostes paucissimos?* Jos. 7. 3.

De somno confurgens dixit in animo suo: egrediar sicut ante feci &c. Judic. 16. 20. S. Ambros. ep. 70. tacenti ad opera agilitas perderat; loquenti autem nec vigor, nec gratia manebat. Apud Escobar t. r. Coll. Chr. l. 12. obl. 8.

Non concidat cor cujusquam in eo: ego servus tuus vadam, & pugnabo adversus Philistaeum. 1. Reg. 17. 32. Armorum imperites duellum non timet, quia gigantem supra humanae naturae terminos se effertentem plus timore, quam corpore, vidit. Imbecilla futura opera credidit, cujus superbas minas audivit. Quae hujus audaciae causa? S. Basilus Seleuc. or. 15. aderat Goliath altum vociferans. Non timuit vociferantem, quia haud falsus putavit imbellem. Primò ritu proflernitur, qui canibus victos hostes promittebat superbus. Naxera in Jos. 7. §. 10. Saepè imbecilliora sunt opera, cujus grandiora sunt verba.

Sit sermo vester est, est; non, non. Matth. 5. 37. Ideò bis dicitur, *est, est, non, non*: ut, quod ore confirmas; operibus probes; & quod verbo neges, factis non confirmes. V. Beda l. 1. hic.

Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine,

mine, intrabit in regnum caelorum &c. Matth. 7. 21. Invocat Deum, qui corde, ore, & opere, Dominum confitetur. Unde non, qui bis, sed qui ter dicit Domine, Domine, Domine, invocatur; & omnis talis salvus erit. Joannis 2. 32. *omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Hugo Card. in Matth. hic. Omnes Christiani dicunt, Domine, Domine, corde credendo, & ore loquendo; sed non faciunt opere, obediendo: ideo oportet ter dicere Domine; & sic per obedientiam habebimus regnum caelorum. S. Vincent. Ferr. f. 2. D. 4. post octav. Paschae.

Sequar te quocunque ieris. Luc. 9. 57. S. Chrysostomus f. 19. ad omnia posse sequi, quis promittit? Dixisset cautius: sequar te, quocunque iusseris; humanius certe, quocunque volueris. Aderat ibidem alius, qui nec verbum loquebatur; cui Christus v. 59. *sequere me.* S. Ambrosius f. 3. de Sanctis cur ergo, cum ab altero interpellatus fuerit, ut, quocunque iisset, religiosi servitii causa sequeretur eum; alteri magis dixerit, qui eum sequi cunctabatur, *sequere me:* & priore spretu, atque despectu, alium potius tacentem delegerit? Respondet: eum elegit, non qui verbis promptus, devotione piger; sed qui est lingua tacitus, menteque devotus. Plinius: qui celerius fari capere, tardius ingredi incipiunt. Natura confirmat, quod dico: dico: quorum solutio ad loquendum properat lingua, ij impeditioribus pedibus, & remissioribus manibus. Did. Niss. D. 2. post Epiph. §. 5.

Implete hydras aqua. Joan. 2. 7. Ab eo, qui pauca loquitur, multum expecta: verum de illo, qui multum garrit, nihil tibi promitte. Quam paucis verbis ad hoc miraculum utitur Christus: *Implete hydras aqua,* inquit, nec quidquam amplius. Id. ib.

Domine, video, quia propheta es tu. Joan. 4. 19. Jam tertio eum Dominum vocat. v. 11. *Domine, neque in quo haurias, habes.* v. 15. *Domine, da mihi hanc aquam.* & v. 19. *Domine, video &c.* Fatuae bis solum dicunt, Matth. 25. 11. deest tertium Domine. Gregorius; & Hilarius: fide, & spe, bis dicunt Domine, Domine: & quia non habuerunt charitatem, non valuerunt tertio dicere, Domine. Gregorius, & Hilarius: fide, & spe, bis dicunt Domine, Domine: & quia non habuerunt charitatem, non valuerunt tertio dicere, Domine. At Samaritana fide credidit Prophetam, & Messiam; spe speravit aquam vivam; charitate cucurrit ad civitatem, & omnes traxit ad Christum: & ideo meruit ingredi ad nuptias Agri. Sylveira hic.

§. VII.

Opera supererogatoria suadentur.

Puella, cui dixero: & illa responderit: bibe, quin & carmelis tuis dabo &c. Gen. 24. 14. Servus Abraham petiit signum a Domino, ut cognosceret illam esse, quam elegerat uxorem Isaac; quae plura faceret, quam ipse postularet. Sic est praecipuum signum, quod illas animas eligit Deus in sponsas Unigeniti Filii sui: *Polyanth. Sacra. Tom. II.*

quae, non contentae facere, quod ab eis petitur; multo plura faciunt. Diez D. Palmar.

Abjicite deos alienos &c. Gen. 35. 2. Fecerunt; & insuper in aures obtulerunt: ne minus pietas faceret pro altari Domino construendo, quam fecerat pro vitulo conflagando amentia: *derunt ei omnes deos alienos, quos habebant; & in aures, quae erant in auribus eorum.* Rupertus l. 1. de consilio c. 16. non contenti facere, quod praecipit, ultra sese extendunt ad illud, quod praecipit majus, & amplius est. Naxera in Jos. 21. §. 15.

Fecerunt ergo filii Israel, sicut praecipit eis Josue, portantes de medio Jordanis alveo duodecim lapides. Jos. 4. 8. sed Josue v. 9. *alios quoque lapides posuit in medio Jordanis alveo, ubi steterunt Sacerdotes, qui portabant arcam foederis: in illo die magnificavit Dominus Josue coram omni Israel.* v. 14.

Dixerunt Moysi: plus offert populus, quam necessarium est. Ex. 36. 5. Abulens: Populus ad Deum valde affectuose movebatur, & faciebat, quod DEUS mandaverat, & aliquid ultra.

In viis justitiae ambulo, in medio semitarum judicii. Prov. 8. 20. Virginem testinantem ad templum quaris? frustra quaris, si non quaris eum in viis justitiae. Nota: non in via justitiae ambulat, sed in viis. id est, sunt, qui justitiae unam solum viam esse putant. Quae sunt semitae? ea Sanctimoniae opera; quae tibi non justitia, sed fervor deligit, & praescribit. Nisi ultra leges tuas aliqua tibi imperes, non ambulas in semitis. Adverte tamen: prius ambulandum in viis justitiae; & deinde in semitis judicii. Primo imple, quae ceteri agunt, quae tibi religio indicit: mox, cum ea expleveris, filicet, singularia perfice, quae tibi fervor suadet. Oliva l. 4. Strom. §. in viis justitiae &c.

Docet nos vias suas; & ambulabimus in semitis ejus. II. 2. 3. Oleaster hic: Dominus vias docet; sed ipsi in semitis ambulant: quoniam multa, praeter leges, homines inspirati fecerunt, quae consilia dicuntur, & arctiora legibus sunt.

Si vis perfectus esse &c. Matth. 19. 21. Acceptor est Christo, & toti caelestis curiae, ille, qui non solum contentus mandatorum custodia; sed in ampliora suspirat; & operibus nititur ad majora; quam is, qui solum graditur illorum suam viam, cum quibus teneri, possiderique, possunt divitiae, honores, & potentatus; & commercia exerceri, & participare conjugio. Sim. Cass. l. 9. c. 46.

Non accepistis spiritum servitutis &c. Rom. 8. 15. Servitute deposita in libertatem filiorum transivimus. Sed quae differentia servitutis, & libertatis? Servi intra legum praescripta toti continentur: non sic filii; qui sic patrem legislatorem amant, eaque libertate leges amplectuntur; ut minime intra earum observantiam conclusi, ulterius quid intendant, & etiam faciant. Baeza t. 2. l. 6. c. 1. §. 3.

§. VIII.

Tu ipse operare, non per alium.

Ex Veteri.

NARRATUR Gen. I. creatio elementorum. Terræ Gen. I. I. in principio creavit Deus cælum & terram. Aquas v. 7. Ignis, juxta multorum sententiam, cum dixit v. 3. fiat lux. de aëre nulla fit mentio. Aër lucet, non propriâ, sed emendicatâ à sole luce: aquam emitit in nubibus ex mari: intonat exhalationibus terræ: adeo nihil habens sui expressione indignus videtur. Sylveira Addit. in Matth. 6. 29.

Ipsè ad armentum cucurrit &c. Gen. 18. 7. & tulit inde vitulum, dum Dominum excepit hospitio. Sed Gen. 24. 2. Agens de uxore filio quærenda famulum mittit. Ubi S. Chrysost. cum Abraham peregrinos vellet excipere, per se hoc officium præstabat; cum autem nuptias facturus fuit, servum adhibuit. Cur hoc? quia peregrinorum exceptio ad æternam salutem attingebat, juxta illud: *hospes eram &c.* Escobar. t. 1. mir. Chr. l. 3. obs. 3. Sect. 2. Contemplatus in paupere Deum, ipse currit ad ministerium immediatè. Idem Escobar t. 2. Pers. Chr. l. 10. obs. 4. Cucurrit, nè quis alius charitatis officium præriperet. Lypoman. Nec bonum, quod exercebat, per alios minuit: sed, quasi prædâ repertâ, humanitati solus incubuit; ipse vitulum portavit &c. S. Hieron. ep. 26.

Voce meâ &c. Pl. 3. 5. Non alienâ tantum: contra quosdam, qui semper petunt orationes aliorum, & ipsi nec orant, nec faciunt, quare impetrare mereantur. Similiter contra quosdam; qui nunquam voce suâ clamant in Ecclesia, sed tantum Voce. Hugo Car. hic.

Ego ad Deum clamavi. Pl. 54. 17. Ego non per Vicarium: sicut Canonici, qui per Vicarios cantant; & fortè per Vicarios salvabuntur. Idem hic.

Date ei de fructu manuum suarum. Prov. 31. 31. Aliorum bona in meritum gloriæ nemini accedunt; sed unicuique datur de fructu manuum suarum. Et qui non laudatur ex propriis, ex alienis sordescit. Sim. Cass. l. 6. cap. 30.

Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi. Prov. 20. 4. Cogetur mendicare in egestate decoquentis Judicii, seu in claritate Sanctorum. Sed non dabitur ei de laboribus aliorum, ut refocillet animam suam; neque de aliorum victoriâ suscipiet ipse coronam. Sed nec justificabitur de justitiâ in labore agentiam vitam suam: nam scriptum est, *juxta opera manuum suarum retribuetur ei.* Prov. 12. 14. Et Prov. 31. 31. *date ei de fructu manuum suarum;* non alienarum: & *laudent eum in portis opera ejus.* non aliena. Sim. Cass. l. 8. c. 49.

Vir respiciens in mensam alienam, non est vita ejus in cogitatione victus: alit enim animam suam cibus alienis. Eccl. 40. 30. Syrus: qui sperat in mensam alienam, nemo reputavit vivum. Christianus, qui meritis

præfidit alienis; qui spem suam in poenitentis &c. aliorum positam habet, neque ipse collaborat; non est vita ejus in cogitatione victus, non ille cogitat salvari: aut, si cogitat, stultè, & malè præsumit. Did. Niss. Vit. Abr. l. 10. c. 4.

Ex Novo.

Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum, & Phariseorum &c. Matth. 5. 20. Cur dicit *justitia vestra*? Pungit hoc Scribas, & Phariseos, qui scelerati maxime de suo patre Abraham gloriabantur. Matth. 3. 9.

Patrem habemus Abraham. Et Joan. 8. 33. *semen Abrahæ sumus.* & v. 39. *Pater noster Abraham est.* Ideo ait, *justitia vestra.* q. d. non intendam alienis meritis, sed vestris operibus, Sylveira hic q. 4.

Nec Salomon in omni gloria sua cooperatus est sicut unum ex istis. Matth. 6. 29. Hugo Card: quia in Salomone vestes fuerunt alienæ; in liliis verò propriæ vestes, quas natura dedit eis. Infelix, qui nihil habet ex propriis; sed alienis vult ornari Sylveira hic.

Omulier, magna est fides tua. Matth. 15. 28. Cur Christus non annuit petitioni pro muliere, sed solum ejus precibus? Euthym: considera, quomodo, cum Apostoli pro ea deprecati fuissent, nihil effecerint. v. 23. ipsa potius, perfecit. Hinc enim docemur, quod Deus mavult nos pro nobis ipsis obsecrare. Sylveira hic q. 15.

Quinq; satua. Matth. 25. 2. Fatuitas est, de aliena justitiâ in conspectu Domini patrocinium quærete; qui solum judicabit ex propriis: ut nemo ex aliena, sed ex sua damnetur nequitia; nullus de alterius, sed, per misericordiam Dei, de propria justitiâ coronetur. *Date nobis de oleo vestro.* id est, oramus vestris meritis adjuvari, quibus propria defuerunt. Sim. Cass. l. 6. c. 28.

Patrem habemus Abraham. Luc. 3. 8. Nemo confidat in prædecessoris justitiâ, si sibi dominatur iniquitas: nemo sibi de sanctitate alterius blandiatur; sed ipse velit se in virtutibus exercere. Ut incunctanter affirmem: nec Christi misericordia, & omne meritum ejus, ac etiam totius Sanctæ Ecclesiæ suæ, opem non potest hominibus ferre; nisi ab iniquitatibus resipiscant; & quantum permittitur, dignos poenitentia fructus agant. Proinde Joannes hanc præsumptionem interimit, ut filiis merita paterna subveniant: quoniam filii Abrahæ non computantur in semine, sed in fide, ac in imitatione morum, & directione virtutum. Sim. Cass. l. 3. hic.

Lacrymis capit lavare pedes ejus. Luc. 7. 38. Cur Magdalena lavat pedes Christi non aquâ, sed lacrymis suis? Drogo Ost. l. 1. de Pass. ad lavanda sui Domini vestigia, non alias, quam oculorum suorum undas attulit, capillis suis pro linteis usa est. Tum verò ubi affectus vehementior incanduit, & uberavit; carbo lacrymarum imbre responsus fortius exarsit. Non ex alio fonte, quam ex propriis oculis, aquam vult haurire. Perfectus amor totum præstare solus, nullam alteri partem patitur impetiri. Sylveira hic. q. 13.

Quis

Quis vestrum habebit amicum &c. Luc. 11. 5. Cur non mittit alium? & quidem mediâ nocte? In salutis negotio non depende ab alio; sed ipse per te age omnia necessaria, & utilia. Baeza t. 3. l. 15. c. 3. §. 2.

Lucerna ardent in manibus vestris. Luc. 12. 35. Lumen ante te, non à tergo feras; si videre cupis, quâ viâ gradiaris; Sunt multi, qui totâ vitâ nec buccellam panis elemosynas erogari. Lumen ante te porta, id est, fac bona opera in vita, non à tergo. Mors vitam sequitur; & ita morieris, ut vixeris. Stella hic.

Ut intingat extremum digiti sui in aquam. Luc. 16. 24. Petrus Cellenf. de pan. c. 25. plenam itaque manum sanguine Redemptoris, non extremum digitum in aqua tinctum, exposcat conscientia de gravibus confitentis: nec alterius tamen, sed proprio digito velit movere, & amovere poenam; quam, malè animum movendo, sibi admovit. Apud Baezam t. 1. l. 5. c. 2. §. 5.

Vade ad natatoria Siloe, & lava. Joan. 9. 11. Potuisset Dominus Discipulum mittere, qui ex Siloe aquam afferret ad oculos mendici diluendos; sed cæcum ad ipsum fontem mittit: ut doceret, propria salutis nullam particulam alieno ministerio relinquendam; negotii æterni ab unoquoque curam habendam. Escobar t. 1. mir. Chr. l. 3. S. 2. Obf. 3.

Cum accepisset linteam, præcinxit se &c. Joan. 13. 4. Theophylactus: linteò præcingitur ipse, omnia faciens, lavans, & extergens; mittit item aquam, hoc & ipse faciens, & non aliis committens. Apud Sylveira in Luc. 7. q. 13.

Venit Nicodemus ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quasi libra centum. Joan. 19. 39. Magna fuit unguenti istius copia. Et licet hæc fecerit ille, nihilominus Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome, emerunt aromata, ut venientes ungerent Jēsum. Marci 16. 1. Petrus Abaylaidus ep. 7. paraverunt aromata; nec satis videlicet habentes aromata Nicodemi, nisi adderent & sua. Did. Niss. Vit. Abr. l. 10. c. 4.

Magdalena non dicit, dicitō mihi, ubi posuisti eum, & affer; sed, ego eum tollam. Joan. 20. 15. Non refugio laborem, non quæro alienas manus. Baeza t. 1. l. 5. c. 2. §. 5.

Mittebant coronas suas. Apoc. 4. 10. Habent phialas aureas plenas odoramentorum. Apoc. 5. 8. Cur mittentes coronas, non etiam effundunt phialas? Coronæ erant propriæ ait Andreas Cæsarij phialæ orationes Sanctorum. Hinc Deum honoraturi non offerunt aliena opera, se propria merita. Sylveira hic.

Vocem, quam audivi, sicut citharadorum citharizantium in citharis suis. Apoc. 14. 2. Nullus in cælo auditur cum instrumentum non suo. S. Bernardus in Apolog. in Guilielm. vā citharis citharizantibus, non ut illi de Apocalypsi, in citharis suis, sed verè, ut hypo-

critæ in alienis. Suspecta tibi sit spes illa, quæ adeo alienis precibus, & laboribus; fidis; ut nullum laborem proprium exhibeas. Meliore usus consilio Abraham: locum ille sepulture etiam gratis oblatum pacta emit pecuniâ. Gen. 23. 13. Merito non alienis, sed in suis, volens habere sepulchrum. Qua de causa, quia sepulchrum pertinebat ad requiem æternam; & novit sapiens vir, quàm parum ad æternitatem prorsunt, quæ ex alienis, & non propriis sunt. Baeza t. 3. l. 14. c. 11. §. 1.

Ex Patribus, & aliis.

Pensandum est: quòd tutior sit via, ut bonum, quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat ipse, dum vivit, per se. S. Gregor. dial. 1. 4. c. 58.

Non fidamus Patrum virtutibus. Sed, etiamsi celebrem habeas parentem; non putes tibi illud ad Salutem sufficere, aut ad honorem, & gloriam; nisi & moribus illi cognatus sis. S. Chrysost. l. 19. in c. 11. ep. ad Rom.

§. IX.

Pro uno opere, quod nequis agere, substituere aliud.

Ex Veteri.

Arietem assumens obtulit holocaustum pro filio. Gen. 22. 13. Si vires non suppetunt ad jejunandum, mortificationes &c. extendè manus ad elemosynas. &c. Si nequis corporales; impende spirituales. Naxera in Jos. 13. §. 16.

Iste Deus meus, & glorificabo eum. Ex. 15. 2. Hebr. tugurium ei faciamus. Ex viridibus scilicet ramis, & floribus; cum templum in deserto erigere nequeamus. Did. Niss. D. 1. Pent. §. 3.

Et nunc divide terram. Jos. 13. 7. Putares, post tot ab hostibus reportatas victorias, Josue otio honesto addicendum: verum virtus nescit ignaviam. Tremula Josue dextera non poterat præliari, & pacta aggreditur tribubus partii. Naxera in Jos. 13. §. 16.

Curremus in odorem unguentorum tuorum. Cant. 1. 3. Exiguum videtur, quod sponsa petit. Cur solò odore contenta, non ipsa petit unguenta? Vult dicere: quia te ipsum non datur amplecti, interea odor nominis tui mecum ex desiderio pernoctabit. Did. Niss. Vit. Abr. l. 5. c. 1.

Convertit Ezechias faciem suam ad parietem, & oravit ad Dominum. II. 38. 2. Angelomus: quia ad templum ire non poterat, convertit faciem ad parietem. Non valuit totum; neque tamen nihil fecit. Did. Niss. D. 1. Pent. §. 3.

Ponam in deserto ulmum. II. 41. 19. Deo etiam grata ulmus. S. Greg. hom. 19. in Evang. ulmus vitem cum fructu suo sustentare solet. (loquitur ex more Palæstinae, & Italiae) ubi ulmis vites nubunt, matrasque complexæ per ramos earum procacibus brachiis geniculatō

curfu scandentes cacumina sensim petunt. Ulmus, cum botros non producat, facit, quod potest; ideo Deo grata. Diss. Niss. Vit. Abr. l. 5. c. 1.

Ex Novo.

Esurivi, & dedistis mihi manducare; sitivi &c. Matth. 25. 35. Quò spectat illa operum varietas? cur tam multæ miserationes recensentur? an non unum sat erat? Euthymius: varias humanitatis partes recenset; ut, si quidem possumus, omnes impleamus: sin autem, saltè eas, quas possumus. Qui non potest vestem dare nudo, ei per corporis vires licebit visitare infirmum, Hildebertus Turon. ep. 16. laudat reginam Mathildem, quò Ecclesiæ illius opulenta ex auro candelabra misit: porro ex hoc etiam manifestum est, quàm devotè interer Sacramentis: quæ, quia ministrare non potes scemina, provides instrumenta. Did. Niss. Pol. coel. p. 1. c. 2. qui maximum consecui non potest, minora penset.

Apprehensâ manu cæci eduxit eum foras extra vicum. Marci 8. 23. S. Chrysost. l. 176. Apprehensâ manu cæci eduxit eum, ut homo non horreat hominem; & duce manu, cæcum lucis faciat nescire orbitatem. Nec dicat homo: non habet manus mea, quod det pauperi. det ipsam manum pauperi. Apud Did. Niss. D. 1. Pent. §. 3.

Exultavit insans in utero ejus. Luc. 1. 42. Fecit, quod poterat; quia non poterat, quæ cupiebat. Salto vocis supplevit officium: & quia non poterat linguâ laudare Dominum, deprædicavit tripudiis. Naxera in Jos. 13. §. 16.

Postulans pugillarem scripsit &c. Luc. 1. 63. Cur Zacharias scripsit nomen Joannis? Tertul. l. de idololatria c. 23. Zacharias temporali vocis oratione multatus, cum animo collocutus linguam irritam transit, manibus suis à corde dictat; & nomen filii sine ore pronuntiat, loquitur in stylo, auditur in cera, manus omnî sonò clarior, literâ omnî ore vocalior. Apud Sylveira in Luc. 1. 63. Munus Præcursoris, non clamore vocis, sed pedum tripudiò, exhibet; officium officiò compensat. Ingens amor nunquam invenit obstacula, ut se patefaciat: si unum non potest, aliud perficit. Id. Sylveira Addit in Luc. hic.

Ministrabant ei de facultatibus suis. Luc. 8. 3. Equique multæ sunt facultates, ex quibus Christo ministrari potest; ut, si sit in una parte defectus, persistat in altera fulcimentum. Ex magnis quidem affectibus, & desideriiis ardentibus; ex doloribus, & gemitibus; ex his, quæ corpore secundum DEI cultum agi possunt, etiam præter exteriorem substantiam Christo ministratur. In angustum esset inclusum ministerium Christianorum; si tantum ageretur pro Christo ex abundantia corruptibilium rerum. Habet pretium unusquisque in seipso, unde Christo meliora, & gratiora, ministrat. Proinde inexcusabilis, est homo, in conspectu ejus, si non ministrat ei de his, & in his secundum placitum suum, quæ ab ipso gratis accipit. Sim. Cassi. l. 9. hic.

Et Lazarum in sinu ejus. Luc. 16. 23. S. Chrysost. ep. 126. In hoc quoque pulchrè se gessit Lazarus: nec enim ulli subvenit pecuniis: qui enim id fecisset, cum vel necessarium ei deerat alimentum? Non ingressus carcerem: quomodo enim, qui nec erigi, nec se sustinere poterat. Non invisit agrotum. Et tamen, etiam absque his, præmium virtutis accepit: eò quòd omnia tulerit forti, ac generosò, animo. Pinna in Eccl. Ethol. 154.

Ex Patribus, & aliis.

In cruce clavi ejus manus, pedesque, ligaverunt. Nihilque à poenis in eo liberum, nisi cor, & lingua, remanserunt. Inspirante Deò totum illi obtulit, quod in se liberum invenit. Ut juxta hoc, quod scriptum est, corde crederet ad justitiam, ore confiteretur ad salutem. S. Gregor. mor. l. 18. c. 23.

Si mons esse non potes, nec prævalēs; esto vel collis. S. Ambros. in Ps. 118. Octon. 7. v. 1. Apud Did. Niss. Vit. Abr. l. 5. c. 1.

Sanum, justumque propositum nunquid omittendum ex toto fuit, quia ex toto impleri non potuit? S. Bernardus ep. 176. Apud Niss. Polit. coel. p. 1. c. 2.

Miles præcisus quoque manibus in prælio invenit, quod partibus conferat; & clamore juvat. Seneca l. de tranquill. c. 3.

§. X.

Opera orationi junge.

Pleraque Symbolicè.

Ex Veteri.

Summus Sacerdos. Ex. 28. 33. 35. cum in Sanctuarium ad orandum, & offerendum thymiana, ingrederetur, vestitus erat hyacinthinâ togâ; à cujus fimbria pendebant multa quasi mala Punica, ex pulchris coloribus contexta, mixtis aureis tintinabulis, quæ in ipso ingesta sonitum ederent. Quò significatur munus dignè orandi, & se præsentandi in conspectu Altissimi, non in solo sonitu precum consistere, ut efficaces sint; sed etiam in consortio malorum Punicorum: quæ insigniores charitatis erga Deum, & proximum, actus referebant. de Ponte in Cant. l. 7. Exh. 28.

Cantabimus, & psallemus virtutes tuas. Ps. 20. 14. Cantare, est verba Domini ore proferre: psallere autem, mandata divina bonis operationibus constanter implere. Hac enim duo sunt, quæ à nobis omnimodis expetuntur: ut laudes Dei fideliter ore cantemus, & opere nostrò ipsius mandata faciamus. Cassiodorus hic.

In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis. Psal. 76. 3. S. Gregor. in Ps. ult. pœnit: quid est DEUM manibus exquirere; nisi operibus Sanctis Salvatorem invocare.

Cantate,

Cantate, & exultate, & psallite. Pf. 97. 4. Cantare, est oris officio laudes Domino personare: exultare, cum magna affectione animi vota declarare: psallere, bonis operibus Domini mandata complere. Cassiodorus hic.

*Psallite Domino in cithara, & voce psal-
mi.* Pf. 97. 5. Non vocem solum, sed opera, assumite: ut non tantum cantemus, sed & manibus operemur. Qui cantat, & operatur: psallit in psalterio, & cithara. S. August. l. 222. de temp.

Cantate & psallite ei. Pf. 104. 2. Hoc est, verbis, & opere, predicare: quia ore canitur, manibus autem psallitur. S. Prosper Aqu. hic.

Favus distillans labia tua. Cant. 4. 11. & mox: *& odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Per vestimenta virtutes, per thus oratio, intelligitur. Cum autem ait, vestes animae thus redolere, dicere voluit: in ea operari, & orare, idem esse, propter devotionem magnam, rectamque operationem. Diez. conc. 3. D. 3. Pasch.

Levemus corda nostra cum manibus. Thr. 3. 41.

Ex Novo, & Patribus.

Ut incensum poneret &c. Luc. 1. 9. Incensum est devota oratio. Pf. 140. 2. *Dirigatur oratio mea sicut incensum &c.* quae non dici, sed poni dicitur: quia sine dubio non valet oratio, quae manu non ponitur ante Deum, est, quae operibus non juvatur. Hugo Card. hic.

Petite, & dabitur vobis; pulsate, & aperietur. Luc. 11. 9. Fatuae clamant: Domine, Domine, *aperi nobis.* Matth. 25. 11. & tamen non admittit: quia manu non pulsarunt. S. Chrysost. hom. 18. in Matth. sicut qui pulsat ostium, non tantum voce clamat, sed & manu; sic, qui bona opera facit, quasi manu pulsat Deum operibus bonis. Sylveira in Apoc. 7. 9.

Quarite, & invenietis &c. Ib. Petere, orantis est, querere facientis: petere namque ad orationem spectat: querere factorum est: quarimus enim factis, quando verè quarimus. Cajetanus hic.

Habentes singuli citharas, & phialas aureas &c. Apoc. 5. 8. Cithara, cum manibus pulsatur, bona opera denotant; phialae autem orationes, ut ipse Joannes explicat: steriles enim oratio sine bonis operibus. Sylveira hic.

Ut ad aures Dei viam precibus faciatis, vigilantius studendum est: ut voces actibus adjuventur: jam inanis fit oratio, ubi prava est actio. S. Gregor. l. 9. ep. 45.

Si quis vult orationis virtute superare diabolum, debet elevare manus, id est, actus ad Deum, ut ejus conversatio sit in caelis: *nam bona est oratio cum jejuniis, & eleemosyna.* Tob. 12. 8. Innocentius III. P. l. 2. c. 27.

Accedat cibo boni operis orationis potus, componens in stomacho conscientiae, quod bene gestum est. S. Bernardus l. 18. in Cant.

§. XI.

Opera semper, & ubique potes exercere.

Esther oravit, flevit; Esth. 14. 2. 3. Sed quem sibi delegit ad sua vota locum? Corpus suum humiliavit jejuniis; omniaque loca, in quibus antea letari consueverat, crinium laceratione complevit. Speravit, gratiores Deo fore preces suas, si voluptatis sedem in squaloris exedram convertisset: si suo ibi fletu Domino licasset, ubi deliciis perfundi consueverat. Judith. 9. 1. *ingressa in oratorium suum.* c. 12. 7. *& exibat noctibus in vallem Bethulic.* quibus precibus non confusa suas in conopoeo lacrymas, votaue, renovavit c. 13. 6. *stetitque ante lectum orans cum lacrymis.* In conopoeo smaragdus, violisque distincto, quis pro illecebra erupturum crederet lectum a foemina, praesertim mitratam, & delibutam? Ideo Assyrium alieno pugione confodit, quia alieno loco, & tempore, oravit, & flevit. Oliva l. 6. Strom. §. Non est tibi cura Luc. 10.

Cum Sapiens Ecclae 3. unicuique rei tempus assignaret, non tamen dixit, tempus bene operandi, & tempus a bono opere cessandi, vel male faciendi: quia bene semper, male nunquam, facere oportet, Aloyf. Novar. Elect. Sacr. l. 2.

Mane semina semen tuum. Eccl. 11. 6. Hoc est, in tempore juventutis: quia *bonum est vero &c.* Thr. 3. 27. *Et vespere ne cesset manus tua*, id est, in senectute q. d. in omni tempore, & aetate, sine cessatione sunt facienda bona. S. Bonavent. hic.

Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi. Matth. 11. 2. Vincitur ab Herode Joannes, quid egit in carcere? oravit; passus, ignovit, jejunavit; & Praecursoris munere tum maxime defunctus. Quid agat in cruce latro? sui eum criminis poenitet, Christo se lavandum praebet, socium latronum objurgat, & curam ejus agit. Luc. 23. 41. Ne forte putares, in templo solum & flagrarethus, & myrrham legi. Nescis & Samaritem. Luc. 10. 31. & viatorem prope Jericho semineci opitulatum; idque in campo advenam praestitisse; quod in templo vix Levitae conficerent? Sacerdos certe id in agro non praestitit. Oliva l. 5. Strom. §. quae mulier habens drachmas decem. Luc. 15.

Lacrymis capitis rigare pedes ejus. Luc. 7. 30. Etiam ubi bibitur, scit poenitentia lacrymari: etiam dimissa in pace charitas nescit orari. Publicanus in templo cor tundat; Magdalena potest lugere in convivio. Oliva l. 11. Strom. §. ut cognovit &c.

Accendit lucernam, & everrit domum. Luc. 15. 8. Querenda domi drachma: non enim in foro amissa est, sed in conclavi tuo. Absesse quisque credit a suo munera drachmam. Audias mercatores telonio imputare, quod coelum non respiciant. Aulicus, ad aulae charitatem florere non posse, vociferatur. Qui lugeam intra cassidem? inquit miles. Quis non efferveat inter fontes? ait Judex. Verbo nemo

nemo drachmæ jacturam non fatetur; quisque verò procul eam à suo nido latere putat. Fallimini omnes: *regnum Dei intrat vos est.* Luc. 17. 21. Quòd si regnum; quantò magis drachma. Quaratis oportet, & eam reperire non dubitetis. Samson in pistrino pâllic, orat Jonas in ceto; jejunit Daniel in palatio; ignoscit David & filio in fuga, & regi in spelunca, & Semei in via. Zachæus convivium parat, & pœnitentiam agit; Jacob dormit, & cœlum spectat: Judith inter phaleras castior, quàm in cilicio: insulata Esther coronam, ut pannum menstratæ, fastidit: introductus post cœnam juvenis Tobias ad sponsam thalamum in aram vertit, conficit è rosis thura, Tob. 8. 4. *exurge, & deprecemur Deum &c.* Oliva l. 5. Strom. §. quæ mulier habens drachmas decem.

§. XII.

Opera eadam sapius repete.

Ex Veteri, & Novo.

Reversusque est per iter, quò venerat, à meridie in Bethel, usque ad locum, ubi prius fixerat tabernaculum inter Bethel, & Hai. Gen. 13. 3. Vatablus: reversus per iter vertit, per eadam mansiones. Cur per eadam loca, quibus venerat, reverti voluit? Guilielmus Pepinus Gen. 13. q. 3. respondet: quia novit bona hospitia; & ad illa declinavit redeundo, in quibus honestè locutus fuerat eundo. Quò significavit: quæ felix, & prospera, cuius via accedit, eam constanter ineundam; neque ignota, aut tentanda vada, aut quærenda itinera. Did. Niss. f. 2. D. Palm.

Et deposuit ea, & tulit baculum suum &c. 1. Reg. 17. 40. Præliaturus cum Goliath David, regia arma ponit; ad pastoralia redit: quia in his leonem, & ursum, interfecit. Sylveira in Matth. 26. q. 5.

Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, qui est in Sancto. Pl. 67. 25. Cur ait Propheta, viros ingressus Dei, & non egressus ejusdem? Causa est: quòd Deus, cum alibi est, ubi illi benè est, & grata habitatio, nescit egredi: non reperit, quæ exeat; sed conquisivit dulciter, & perseverat constanter; Dilectant id à Deo devotæ animæ. Did. Niss. f. 2. D. Palm.

Iterum secundo abiit, & oravit, tertio eundem sermonem. Matth. 26. 39. 42. 44. An verborum inops fuit ut nos doceret, repetere verbum quodcumque illud Deo loquimur; quò spiritum nostrum excitari, accendi devotionem, sentimus; nec discedere à mysteriò, quòd copiosam meditationis sylvam ministrat. Id. ib.

Dicit ei iterum: Simon Joannis diligis &c? Joan. 21. 16. Iteratò Salvator interrogat: non quòd ignoret, aut non verum sit, quòd Petrus antea respondit; sed ut confitendo sapius mereatur amplius: et enim Salvator omnium Christus semper suis Fidelibus parat ordinem plus merendi. Sim. Cass. l. 14. hic.

Exemplum S. Magdalene sapius ad pedes Domini.

Sedens secus pedes Domini, Luc. 10. 39.

Ex quo in amore facta ferventior, in humilitate proclivior; semper illos animò, & situ sui corporis, repetebat. Postposuerat hæc omnem corporis curam, sibi vacans, sibi attendens: non ad erogandum, sed accipiendum sollicita, & propensius avida. Sim. Cass. l. 9. c. 33.

Videns eum cecidit ad pedes ejus. Joan. 11. 32. Antiquum suum locum occupat Maria. Ad pedes Christi obtinuit veniam peccatorum; ad pedes ejus sperat impetrare fratri vitam: suæ felici viæ instanter adhæret. Sylveira hic. Locum proprium Maria agnovit pedes Jesu; & ita agnovit, ut non jaceret, sed caderet: tanquam impotens se continere juxta pedes Jesu, à quibus veniam consecuta fuerat, Caetanus hic.

Unxit pedes Jesu. Joan. 12. 3. Rectè vadit, qui ad profectum animæ contendit per viam, quæ illi felix semper accidit. Magdalena in pedibus Christi invenit, quam suspirabat, veniam, & consolationem. Luc. 10. 39. ad pedes Christi audiebat verbum illius: hodie eosdem pedes, apud quos tam bene illi fuerat, totâ unguenti librâ tinxit à quo enim apud Sacrosanctos illos pedes noxarum suarum gratiam invenit, tanta fuit illis erga illos observantia, & fiducia; ut ad illos semper adiret, & accederet. Docuit sic devotos, & contemplationi deditos; ut qua de materia cum fructu animæ semel meditati fuerint; sive ea sit mors, sive Judicium extremum, seu Infernus &c. huc identidem recurrant, & scintillas ibi requirant, ubi semel in meditatione exarstit ignis. Did. Niss. f. 2. D. Palm.

Magdalena sapius osculatur pedes Domini, & ungit, & querit.

Ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. Luc. 7. 45. Verum Dei amatorem describit, qui paucis amoris sui signis non contentus, nescit cessare ab amoris operibus. Bæza t. 2. l. 6. c. 5. §. 29.

Unxit Maria pedes Jesu. Luc. 7. 38. Matth. 26. 7. Marci 14. 3. Joan. 12. 3. In prima unctione querit scelorum indulgentiam; nec de pretio unguenti curat. At dein gratiarum actioni tota intenta, quia Christus fratrem suscitârat. Iterum Maria ad unctionem venit. Felix auspiciu sapius repetendum Sylveira in Matth. 26. q. 5.

Dum ergo staret, inclinavit se, & prospexit in monumentum. Joan. 20. 11. Certè jam monumentum vacuum viderat, jam sublatum Dominum nuntiaverat: quid est, quòd se iterum videre desiderat? sed amanti semel aspexisse non sufficit: quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis, S. Gregor. hom. 25. in Evang.

§. XIII.

Opera heroica, perfecta.

Quia fecisti hanc rem. Gen. 22. 16. Oleaster hic, in Annot. mor. Hic Dominus non solum opus commendat; sed tanti facit, ut nomen,

men, quò laudet, aut operi imponat, non inveniat. Insigne hoc facinus quædam velut summa est omnium illius præclare gestorum, quod alia obsecret, & unum plurimum instar sit. Did. Nils. Vit. Abr. l. 11. c. 1. Excepit Angelos lautè Abraham. Gen. 18. 10. Convivii merces unus vix Isaac fuit, uxore quoque reprehensâ: *habebit filium Sara uxor tua.* Sed in monte Gen. 22. 17. filium immolaturus, suis è lumbis prorupturas accepit stellas. Unde discrimen mercedis? Ibi saginatus occiditur vitulus; hic aræ filius imponitur. Citò, & facile, mensa instruitur: at excitanti nocte angelo parere, aram pro filio struere, perquam arduum. Oliva l. 2. Strom. §. Ecce Magi ab oriente.

Stipate me malis. Cant. 2. §. quasi dicat: Domine, da mihi labores, & persecutiones. Ex conceptibus divini amoris c. 1.

In portis nostris omnia poma. Cant. 7. 13. Cur in portis? ut furi pateant? Hebræâ phrasi in portis esse, est in promptu habere. Significat igitur promptitudinem ad faciendâ, quæ Deo placent. Fatuus sat erat, oleû in foro esse. Et quia judicia in portis fiebant, sensus est: omnia sua opera deducta esse in rectissimum examen. de Ponte hic Exh. 25. §. 2.

Ecce Magi ab oriente venerunt. Matth. 2. 1. Et apud Evangelistas personarum distinctio est: nam, cum & pastores, & magi, puerum convenissent; de his honorificè, de illis nè per transfennam scripsit. *Ecce vox admirantis est.* Pastores quidem à caulis profecti sunt ad antrum; nullis puerum manuum operibus, quod sciamus ex Evangelio, honorârunt, de eo clanculum inter se locuti: ideo vix facilitas, bonorum operum jejunitas, eorum apud superos adventum infirmârunt. Quò durius obsequium in numen est, eò largiora ab eo manant munera. Oliva l. 2. Strom. §. Ecce Magi.

Peperit Filium. Luc. 1. 57. Filium, non filiam, peperit: ut cognoscamus, nunquam Angelò revelante, neque supra naturam in

conceptu mirabili fœminam esse conceptam, aut prodiiisse de partu; sed semper prædicante virtute supernâ conceptus fuisse mirabiles, & partus fuisse viriles: ut non effæminata, sed fortes fiant hominum actiones. Sim. Cass. l. 3. hic.

Nè fortè honoratior sit invitatus. Luc. 14. 8. In domo Dei, non qui tempore; sed qui meritis prior, ille prior. Putaram eum, qui prior advenerat, hòc nomine primum etiam locum promeruisse. Sed Christus id negat; adeoque etiam suadet; ut, qui alios præoccupavit tempore, non propterea superiora loca invadat: nè fortè posterior adveniat, cui pro majorum meritorum debito cedere debeat. Did. Nils. D. 16. Pent. §. 4.

Miscellanea.

Ecce leprosus veniens adorabat eum. Matth. 8. 2. Overbum melle dulcius! eadem exaggeratione, quâ regum trium adventum narravit dicens: *ecce Magi ab Oriente venerunt*, nunc pauperis leprosi adventum exaggerat. Hæc est divini ingenii generositas, & amplitudo: tanti namque pauperum, quanti regum, ministeria æstimat: non enim hominis qualitatem; sed ejus potiùs animum, & affectum, attendit. Diez conc. 1. D. 3. Epiph.

Prima opera fac. Apoc. 2. 5. Non dicit, primum opus. Bæza c. 2. l. 6. c. 5. §. 29.

Ut annulus cupreus, sive æreus, pretiosissimò adamante ornatus, magni valoris est; non ob metallum, sed ob gemmam annulo inclusam: sic bona opera nostra, in gratia facta, vitam æternam merentur: non quòd nostra sint; sed quia fiunt in gratia; & insignita sunt tanquam pretiosissimò adamante; meritò mortis, & Passionis Christi, cui per gratiam adhæremus. Diez Meritum.

TITULUS VIII. OPPRESSIO PAUPERUM.

§. I.

Symbola, Similitudines. Comparantur Piscibus.

Et facies homines quasi pisces. Habac. 1. 14. q. d. cur permittis Domine, ut, sicut pisces majores, & fortiores devorant minores; ita homines potentiores, & tyranni, v. g. Chaldæi: devorent eos, qui sunt imbecilliores. Cornelius hic.

Minor apud illos (pisces) esca majoris est: rursus ipse major à validiore invaditur; & fit esca alterius prædator alieni. Itaque usu venit; ut, cum ipse alium devoraverit, ab alio devoretur, & in unum ventrem uterque veniat cum
Polyanth. Sacra, Tom. II.

voratore proprio devoratus. In signum facti sunt, ut in his nostrorum morum vitia videremus, & caveremus exempla, nè quis potior inferiorem invaderet; daturus in se potentiori exemplum injuriæ. Et tu pisces, qui viscera invadis aliena. Cave, nè, dum illum sequeris, incidas ipse in validiorem. S. Ambros. l. 5. hexam. c. 5.

Non secus ac pisces, qui sunt potentiores, imbecilliores devorant. S. Chrysost. in Ps. 110.

Ut pisces, qui jam adoleverunt, justâ corporis magnitudine ex insidiis imminent nondum per ætatem adultis, quo illos parent in sui alimoniam: ita & ipsi primores, ac Magistratus, nullò suo negotio, injuriæ sunt in imbelles, &

G g

oppr-